

Verzeichnis 2. Teil, Band I

Hist. Saxon.

C.

28, 16.

ILLUSTRISSIMA,
SERENISSIMA, REVEREN-
DISSIMA PRINCEPS
DOMINA, DOMINA

DOROTHEA,
DUCISSA SAXONIÆ,
COMITISSA PROVINCIALIS
THURINGIÆ,
MARCHIONISSA MISNIÆ,

ELECTORIS FILIA,
NEPTIS, SOROR,

CÆSAREI LIBERI SECULARIS
ANTISTITII QVEDLINBURGENSIS
ABBATISSA,

RELIGIONE PURA CHRISTO
ADDICTISSIMA:

*PLACIDISSIMO FELICISSIMO QVE
OBITU BEATAM SUI MEMORIAM
RELINQVENS,*

E VITA DISCESSIT AN.
M. DC. XVII. XVII. NOVEMB.

F R I B E R G Æ,

*Ex officina typographica Georgij Hoffmanni,
ANNO CHRISTI,*



M. DC. XVII.

JUBILE vix abiit letum, venit EIULE mestum.
JUBILE perpetuum non est, non EIULE perpes.

Sic res humanas versat variabilis ordo,
Sic alternantur, mutantur tristia letis.

Si cum SAXONIÆ, Patriæ Patre, Principe celso
Festum Evangelij sacri celebravimus ortum,
Jubila leticia passim per templa professi;
Fas etiam aggemere huic, ejusq; dolere dolorem,
Illi quem peperit SOROR ILLUSTRISSIMA PRINCEPS,
AUGUSTA HEROISSA, ASCETRIA QVE inclyta primas.

Hanc simulac vita est hujus producta sub auras,
Acceptiq; sacrum fontem rovatilis unda,
Secretam à strepitu seclari, Maximus Autor
Dispositu asseruit tacito sibi, junctior esset
Ut sibi, quò selecta sacro pubesceret horto.

DOROTHEA idcirco signata est nomine, ut esset
Divinum donum, ac velut alto germine dignum.

Relligio hinc illi semper primaria cura.
Hanc sibi ceu famulam privam, lectamq; ministram,
Non nisi ad excelsa, ac sacra, & ad caelestia natam,
Subtractam illicijs mundi, seclòq; profano,
Legerat ipsa sibi, sibi consecraverat ipsa,
Et CHRISTO assertam penitus penitusq; dicarat.

Inde dicata DEO fuit, uni & dedita CHRISTO,
Secessu contenta pio, pietatis alumna,
Innuba, ut Eusebies incorruptissima proles.
Nec vixit Soli sibi, CHRISTO tradita Soli:
Corda habitavit ei sua ceu sacraria CHRISTUS.
Sape locuta DEO Cantu & Jessaide lingua,
Sanctiloquorum hominum consortia sancta frequentans,
Volvens haud humiles heroo in pectore curas.

Hanc sibi defunctam tumulat, sibi funerat ipsam
CHRISTUS, non sibi, sed mundo tantummodo demptam,
Adscitam & propius sibi junxit in aetheris oris.

Cum fato extremo novus instaurabitur orbis,
Vivam illam cernent illustria Mausolea.

HEMITHEÆNA tibi gratamur calitis aula
Ingressum, demum nunc es te augustior ipsa
Reddita, cepisti renovamen perpes honorum:
HEMITHEÆNÆ umbra Illustres Salvete beata.

Vos ò, Relligio quibus & pax aurea cure,
Principe pro celso ELECTORE, & matre verenda,
Pro reliquis illis junctis pia fundite vota.

Vota, DEUS, damus, ut mors parcat cadere rutam,
Sub qua concessum tam mollia ducere secla:
Tu pro deciduis RUTÆ folijsq; cadivis,
Usq; magis magis ac florentia germina subde.

M. Johan. Schellenbergius,
Scholæ Friberg. Rector.

